



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Societas nullam vsurpat auctoritatem in Clerum. n. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1587. Extant variæ literæ Eminētissimi Protecōtoris, quibus Reuerendum *Archipresbyterum* à se delectum profitetur: Ex duodecim vero Assistentibus priores sex ab eodem Protecōtore, posteriores ab ipso *Archipresbytero* electi sunt. Quid vero refert qua occasione, quo modo, quoue informatore quiduis Pontifex iubeat? Iethro, homo Gentilis, consilium Moyſi dedit de Senioribus constituendis; Sara (vt humano iudicio videri potest) iracundior, Abrahamæ de eiſcienda Ancilla & filio eius iuſiſit; vtrumque à Deo probatum est. Factum igitur in hoc genere Pontificis, quocunque demum conſultore vſus fuerit, factum potuit eſſe Dei; eoſque magis quòd ex peſſimè etiam factis, Dei factum occasione quadam exiſtere poſſit: Id quod in plurimis Dei actionibus accidere cernimus; multa enim permittit mala, vt inde peritiſſimus artifex eliciat bona. Literas verò institutionis à *Perſonio* conſcriptas fuiſſe inſcio Cardinalis; aut hunc illi facultatem dediſſe quod liberet ſcribendi, tum ſcripto appoſuiſſe manum & ſignum; aut denique à Cardinale prodixiſſe omnia Pontifice non conſulto, Quis niſi amore proprio cæcus affirmet, aut de viris non omnino imprudentibus in re tanta vel ſomniaret quidem.

societas
nullam v-
ſurpat au-
thoritatem
in Clerum.

X X. Iam verò quod ad auctoritatem attinet à Societate vſurpatam in reliquum Clerum, vel per hos ad dignitates euectos quaſitam, longè id abeſt ab eorum propoſito qui ſe non Prælatos ſed Adiutores eſſe totius Cleri profitentur, miſſos quemadmodum & reliqui Sacerdotes, in hanc Angliæ Meſſem, quod ad munia Sacerdotalia in ea exercenda pertinet non ſuperiores ſed pares. Itaque ſicut nihil nobis aſſumimus quod à ſede Apoſtolica non ſit conſeſſum, ita æquum eſt nihil remittamus ob cuiuſcumque æmulationem ex ſtudio & labore iuuandi & dirigendi animas; Atque ſi hoc ſit regere; dent veniam obſecro vt quantum pro virili poterimus regnemus. Sin autem nimiam eſſe Societatis auctoritatem exiſtimauerit quiſpiam, quòd nimis præclare de nobis Catholici ſentiant, erit illa proſecto exiſtimatio ſtimulus ad virtutes omnes, quarum ſanè præmium quoddam eſt laus, & exiſtimatio; noſtris vero laudibus veræ cuiuſcumque laudes nunquã obſcurabuntur. Abſit à nobis vt à quoquã exigamus vt non cum virtute noſ diligat: Non id poſtulamur vt tolerantur vitia noſtra, vt impunè quẽquam lædamus, vt cum aliorum cõtemptu aut diligamur, aut honoremur, ſed vt quiſque noſ diligat vt fratres, nullus detrahat, nullus contra quẽquã excipiat quod ſit erga noſ rectè affectus, cum hunc in noſ affectum, tum commune Chriſtiani hominis officium, tum innumera à Societate proſecta beneficia iure optimo exigant. Nam vt taceam plurimorum Presbyterorum doctrinam & virtutem à Societate manaiſſe, Societas noſtra Romæ primam Collegio Duaceno, centum aureorum penſionem menſtruam à Gregorio decimo tertio impetrauit; quo nomine totum Collegium per publicas literas *Euerardo Mercuriano*, tunc Præpoſito Generali, gratias egit; & recollit *Gregorius Martini* in Epiftola ad veterem amicum *Edmundum Campianum* his verbis. "Beatiſſimus Pater & Pontifex *Gregorius XIII.* centenis in menſe coronatis Collegium

Quid præ-
ſtiterit ſo-
cietas pro
ſacerdoti-
bus & alijs